

berg  
2  
08









1928 K. 944

Q. D. B. V.

2127  
227

An & Quousq; Prin-  
ceps observare Le-  
ges Fundamentales teneatur,

PRÆSIDE

M. NATHANAEL

Galcken / Gedan.

FACULT. PHILOS. ADJUNCT.

edidisset publicè

JOHANNES PILARIK,

Oczowâ-Hung.

Sanct. Theol. & Phil. Cult.

In Auditorio Majori,

D. XX. April. st. v. A. O. R. cl. lxxc. XXCIX.

75  
930



VITENBERGÆ,

TYPIS JOHANNIS WILCKII.

1689





mir krenov...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...







C. D.

§. I.



**I Prudentiæ Consultationibus Legem**

poneret, quod Civili olim Sanctione statutum accepimus, ut *de factis ac Promissionibus Principum quarere, & de eorum Potestate disputare, sacrilegii instar reputaretur*, (a) inhibendus fortè, antequam proveheremur, calamus, & cavendum esset sedulo, ne dicturi de necessariâ Imperantibus Legum Observatione, ipsi peccare datâ operâ in Statuta Principum videremur. Nunc verò cum ipsorum Imperantium frequenti instituto compertum sit, quod pro conciliandis sibi subditorum animis tantum illi indulgere populo nunquam soleant, ut certis circumscribere Conventionibus futuram Imperii administrationem liceat, non alio clariore argumento, quam quod inquirere in facta Principum, & de eorum Potestate addubitare per ipsa Principum suffragia concessum sit, id nobis vitio vertendum non erit, si, quibus contineri limitibus summum agendi Jus, quod Imperantibus competit, aut soleat aut possit, non ex populi æquè, atque rationis suffragio indagemus. Cesserit interim malè Baronio, (b) Bellarmino. (c) Scioppio & Becano, (d) Adolpho Schulkenio etiam, (e) Svarezio, (f) Pareo, aliisque, quod in hoc argumenti genere experiri vires suas voluerunt, ipsa re experti, quam *lubricum sit, scribere de Regum Potestate, de Imperio & Ditione ipsorum, ut regnant, ut jure vel injuria possident*, (g)

A 2

me-

(a) L. 2. C. de Crim. sacril. (b) Conf. Gramond. Hist. Gal. L. 1. (c) Gramond. ibid. (d) vid. Contin. Thuan. L. 5. ad An. 1612. (e) Contin. Thuan. L. 13. ad An. 1614. (f) vid. M. Ant. de Dom. in Offensione Errorum P. Svarezii, annexâ T. II. de Reg. Eccles. (g) Gram. l. c.



meliora tamen illi magnam partem meriti non fuerant, quod vel in abdita illa curiosius involassent, quæ venerari magis quam expromere fas erat, vel ipsi etiam veritati offundere nebulas non dubitaverant. Nobis certum est, indulgere posse Principes iis conatibus, quos obsequii dexteritatisque mixtura temperat, imitanturque; hæc in re Imperantes summum Cæli Terræque Principem, qui non terram modò, sed ipsam sanctissimam Naturam suam intellectui nostro objici patitur, quam licet non omnimodè capiamus, non tamen sibi ingratam finit esse operam, quam ab imbecillitate nostrâ profectam in gloriam suam vertit. Quod ergò feliciter procedat eam nobis impræsentiarum Quæstionem ventilandam sumpsimus: *An & quousque Princeps observare Leges Fundamentales seneatur: quam si eo modo pertractaverimus, ut quidem subditis Obsequii relictam gloriam, Deum tamen etiam Principalem actionum Moderatorem atque Arbitrum esse, (h) luculenter constare possit, tum verò satisfecisse nostro instituto videbimur.*

§. II. Est autem, quod ante omnia de Fundamentalium Legum ratione videamus, & quid eo nomine in Republica venire soleat, dilucidius aliquantò explicemus. In quo opere verò de appellationibus Vocum parum nunc sollicitamur, quamvis & h. l. Viri eruditi prospicere satis sibi de eo non potuerint, quod civiliter Philosophantibus cavendum esse Grotius monuit, *ne vocabulis & externo rerum schemate deciperentur.* (i) Quod accidisse Limnæo videtur, qui cum de Conventionibus Principum Subditorumque ageret, & variorum Regum, Gallorum præprimis, exempla retulisset, qui sub primordia capescendi Imperii subditis in quædam jurant capitula, tandè concludit: *Aut hoc est, Leges admittere, aut ego à ratione alienus sum.* (1) Deprehendere autem errorem facile fuisset, si ad Naturam & indolem Legum accuratius placuisset advertere. Promulgantur certè Leges ab Imperante, qui Majestatem habet, & quidem non nisi subditis Potestati Civili, quos etiam reluctantes & invitos ad Obedientiam obligandi

(h) Tacit. 6. Annal. (i) L. 2. de J. B. & P. c. 3. (1) ad Capitul. Proleg. Sect. 3. n. 19. usque ad 24.



gandi vim habent. At in eo casu, quo conveniunt inter sese partes de certa administrandi Imperium ratione & forma, neq; imperans neq; parens est, sed pares utrinq; quoad hoc negotium, tam qui eligunt, quam qui eligendus in Principem praeficiendusq; Imperio est. Quod si igitur cum veritate consentit, uti est verissimum, & constanti Politicorum consensu receptum; nulli omnino in parem imperium vel Potestatem competere, sequitur pronas illatione, ergo nec Legis ferendae facultatem. Neq; enim quis ab eo, cui subiectus non est, Legibus se adstringi patietur invitus. Si mutuo consensu in placita quaedam iverunt, res expedita est, sed haec Placita Leges non sunt, quae a Superiore feruntur. Quas igitur Fundamentales vocare Leges solemus, iis, ut maxime aliquid habeant, quod imitari Legis rationem videatur, aut, quamvis in quibusdam communibus cum Lege conveniant, a qua vero propriis rationibus omnino distinguuntur, non nisi ex communi loquendi more Legum appellationem posse tribui penitus existimamus. Melius aliquando illi, quibus in hoc negotio Conventionum, vel Cautionis scriptae, itemq; Jurium Regni, Compactatorum, aut Capitulationum, quas vocant, & Legis etiam Regiae Nomina placuerunt, nisi quod postremam appellationem angustiore esse putem, quam ut Pactis Fundamentalibus plerisq; applicari se patiat, eo quod quae Romanis (a quibus derivata vox & res est) Lex Regia dicebatur, Principi absolutam & liberam Potestatem *παρασκλησις* dabat, & omne removebat impedimentum Juris atq; facti, quo Imperatoris actus potuisset in irritum cadere; qui Idem hujus Legis vi *αυτοκρατορικη* etiam censebatur, quod ex Pomponio & Onuphrio deducit ac declarat Boeclerus; (m) quae omnia vero talia sunt, ut evertere potius Conventiones Rerump. quae hodie obtinent, quam constituere & explicare videantur. Decetero, qui meruerint haec pacta *Fundamentales* Leges dici, & unde hoc, quicquid est appellationis, traxerint, judicare in proclivi est. Nimirum cum hisce Conventis atq; Juribus, tam

A 3

quam

(m) *Instit. Pol. L. 3. c. 3.*



quam Basi & Fundamento, præsens nitatur Reip. structura, ita ut ejus conditio atq; Status his demptis aut aliud accipiat schema, aut saltem circa Regiminis modum quoad strictiorem & laxiorem Imperantis Potestatem immutetur, quod speciosius nomen digniusve iis imponi posset, non occurrebat. Eleganter sane Reinkingius. *Hisce, tanquam arctæ catena, & spiritu quasi vitali, Reip. nervos contineri, isdemq; Principem solvere idem esse, ait, ac Regni Jura convellere, caput à membris avellere, & Imperium totum pessundare. (n)*

§. III. Quod ipsum tamen ut eò quis interpretur, non velim, quasi illicò sublati Legibus Fundament. totam collabi Remp. aut si his eximatur Princeps, Imperio extremam attrahi perniciem necessum sit; id verò non de aliis, quam Dei ac Naturæ Legibus dici prædicariq; merebatur. Quas quidem confundere cum Legibus Fundam. nostris tanto minus par erit, quo longiore intervallo hæ inter se discriminantur. Nam cum aliquarum saltem Rerump. more introductum sit, ut promittere Princeps sanctam Fundamentalium Conventionum observationem teneatur, cui in absoluto Regimine, quando illimitatam habet potestatem, non subest, nulla tamen facile reperiri gens poterit, quæ non ita existimet, quod

*Regum timendorum in proprios greges,*

*Reges in ipsos imperium est Jovis. (o)*

Quin sciunt ipsi Imperatores, Tertulliano Judice, qui illis dederit Imperium; sentiunt, Deum esse solum, in cujus solius sunt potestate, à quo sunt secundi, post quem primi ante omnes Deos & super omnes homines. (p) Conf. Arnizæus, (q) Alber. Gentilis, (r) Matth. Stephani. (s)

§. IV. Quemadmodum verò facile est, Divinas & à Naturâ nobis tributas Sanctiones à Statutis Civilibus, Imperii Administrationem circumscribentibus, distingvere, ita illorum error difficilior est, qui, cum Fundam. Legum rationem

inire  
(n) de Reg. Sec. & Eccles. L. 1. d. 2. c. 12. n. 16. (o) Horat. L. 3. Od. 1. v. 5, 6. (p) in Apol. contr. Gent. (q) de Majest. L. 1. c. 3. (r) de Potest. Reg. (s) L. 2. de Jurisd. c. 1. membr. 2. n. 31.



inire voluerunt , id omne in hunc venire censum arbitrati  
 sunt, quod publico nomine constitui in Civitate circa Saero-  
 rum ordinationem , præmiorum pœnarumq; distributio-  
 nem, & quæ alia ejus generis sunt , statum Reip. concernen-  
 tia, consuevit. Deceptus hic iterum Reinkingius est, & cum  
 non adverteret, quod in his positivis Constitutionibus Arbi-  
 trium Principis in utramq; partem & constituendo & abro-  
 gando, prout usus requirit, valeat, præterquam quod exinde  
 mutari aut innovari statum Regiminis publici, & connexio-  
 nis pristinae, quæ inter Principem subditosq; intercedebat,  
 opus sit; quod verò circa Fundam. Leges solere acciderè ne-  
 mini obscurum est; ideò *simpliciter Leges ex publico statu pro-*  
*deuntes fundamentales appellavit*; (t) quasi verò, quoniam Le-  
 ges Fundam. ipsum publicum statum respiciunt, omne eti-  
 am, respiciens publicum, Legis statim Fundam. rationem  
 habeat. A quo verò errore non multum abluere etiam illi  
 videntur, qui inter Promissa Principum generalia & specia-  
 lia distingvere nescientes, pro Fundamentalibus Pactis ob-  
 trudere consueverunt Pollicitationes quascunq; electi Prin-  
 cipis, non æquè tacitas, de Regno bene gubernando, quale  
 Promissum in ipsâ Regiminis susceptione inesse intelligitur,  
 si nihil etiam expressè de eo monitum fuerit, sed inpr. ex-  
 pressas, quibus Officium Regis delineare Imperaturus, & e-  
 numerare præcipuas ejus partes solet; se nempe pro defen-  
 dendis bonis, coercendisq; noxiis Reip. membris, admini-  
 strandâ Justitiâ, & promovendâ salute totius populi labora-  
 turum, se Jus sine ambitione & odio dicturum, consuetudi-  
 nes Patrias non neglecturum, bonorum Civium consilio u-  
 surum, & quæ alia ad laudem & virtutem boni Impii perti-  
 nent; quale Juramentum erat Wilhelmi, qui primus Nor-  
 mannis Angliam subjecit, præstitum Episcopo Eboracensi;  
 itemq; Richardi, Angliæ Regis, de quo aliisq; huc pertinen-  
 tibus conf. Arumæus: (u) In quibus promissis ea quidem vis  
 sita est, quæ etiam Legibus Fundam. adhæret, ut in Consci-  
 entiâ obligetur Princeps ad bene administrandum Impe-  
 rium.

(t) *Tr. cit. l. 2. d. 2. c. 6.* (u) *Jur. Publ. T. 4. Disc. 43. n. 21.*





rium, regundōsq; ex æquo subditos; non tamen eò valent, ut facultatem agendi imperandive limitibus circumscribant, cui hęc ratione modus atq; media ad finem bonæ administrationis consequendum pro lubitu eligenda relinquuntur. Conf. Dn. Pufendorfius. (x)

§. V. Quibus constitutis jam tum facile patere potest, in quo existimemus, Naturam atq; indolem Legum Fundam. radicari. Sunt illæ nihil aliud, quàm Conditiones, quæ futuro Imperii Gubernatori proponuntur, ut secundum eas Regimen instituat. (y) Aut, si ita placet: Sponsio sunt inter Imperantes & Parentes inita, quæ Principalis Potestas in exercitio Jurium Majestatis ad certum Imperii administrandi modum, additâ promissione, nonnunquam juratâ, se obstringit. Ad has sponsiones igitur concurrunt Imperans, concurrunt subditi, non ille solus sufficit, neq; hi rem omnem faciunt. Pactorum hic natura se exserit, quæ non unâ parte contenta est, nec fieri conventiones & contractus nisi inter plures permittit, sibi invicem stipulantes; sive nunc Imperaturus unus sit, quod in Monarchiis obtinet, sive unam saltem personam moralem constituat, quod fieri in Aristocratia affolet, & in Democratia, (quamvis hic obscurior Potestatis Summæ atq; eidem subditorum divisio sit) id perinde est; pari ratione, ubi nec Imperans cum subditis omnibus ad hæc Pactorum Promissa descendere palam deprehenditur, sed iis tantum fidem suam interponit, qui præ reliquis aut Nobilioris conditionis sunt, & illustriori Autoritate in Republ. polent, aut majoribus gavisi Immunitatibus magis etiam pro earum conservatione sollicitantur. Hic fieri videas, ut in Negotiis maximè Ecclesiasticis fiat conventio. In omni enim Republicâ, quod bene Aristoteles (z) *primum est curatio rerum Divinarum*; instituto nec Gentilibus ignoto, quorum Cæsares, qui Rom. Populo præerant, non Imperatorum modò, sed & Pontificum Maximorum titulis præfulsere, quem morem ad Gratianum usq; Imperatorem, qui edicto vetuit, se Pontificem

(x) de Jure N. & G. L. 7. c. 6. §. 10. (y) conf. Magnif. DN. Zieglerius de. Jur. Maj. L. 1. c. 5. §. 31. (z) 6. Polit. 8.



ficem Max. appellare, durasse notat Zosimus. (a) Neq; tamen Actis Civilem Statum concernentes hic negliguntur, iidemq; , ut maximè varii & modò non infiniti sint, plerumq; aut modum perveniendi ad summæ Potestatis Culmen respiciunt, sicq; de familiâ, sexu, conditionibus aliis Imperantium statuunt, aut suam vim exerere circa administrationem Regiminis consueverunt. Quorsum pertinet, si promittat Princeps; se in imponendis oneribus non ultra consveta velle excedere, non absq; Procerum Ordinumq; consensu movere bella; se non permissurum, ut ex Nobilium Familiis quisquam sine præcitu publici Consilii ultimo supplicio afficiatur; velle se etiam non modo non turbare subditorum Privilegia, sed conservare & augere sedulò. Quæ & alia limitant quidem Exercitium summæ Potestatis, adhuc tamen in Simplici Reip. statu locum invenire possunt; maximè si nullo ex iis, quibus facta sponso est à Principe, ad Decreta publica sancienda admittere necessum est; quod verò in Statu Imperato multò aliter habet, quando in Actibus Exercitium Majestatis concernentibus non tantum suffragia Procerum aut Populi se expectaturum pollicetur Imperans, sed & certâ Regni parte, nisi sub conditione, se non usurum, quandoq; aliquâ plane carere velle, promittit, idemq; addito nonnuncquam Juramento confirmat. Quo casu manifestum est, Axioma Monarchicum quoad antenus convelli, & in administrationem Jurium Imperii plures adscisci, ubi una pars citra alteram Jura invicem divisâ, & quæ alterutri parti reservata non sunt, exercere nequit. Quæ omnia prolixius explicant B. Wendelerus, & Excellent. DN. Höhrensee/ Patronus noster observantissimè devenerandus. (b)

§. VI. Atq; hujus quidem rei luculentissima vestigia hodiernum Europa suppeditat. Germaniam nostram primo loco hîc meritò recenséo. Cavit profectò illa suæ libertati, si ulla Regio alia. Unde Fundamentales suas Leges non unâ vice constitutas roboratasq; voluit, docentibus id Pragmaticâ Sanctione, Constitutione Pacis Religiosæ, Transactione

B

Pacis

(a) L. 4. (b) uterq; in Dissput. de Legibus Fundam.





Pacis Monasteriensis & Osnabrugensis, & si quæ aliz Con-  
 ventiones sunt, inter quas Aurea Bulla Caroli IV. Principa-  
 tum tenet, & Capitulationes Cæs. reæ identidem conspicuæ  
 sunt, qualis illa præ aliis est, in quam invictissimus Leopoldus  
 Noster An. 58. juratam fidem suam promisit, quæ recensetur  
 integra à Carpzovio. (c) His nempe omnibus cautum fuit: Ut  
 Imperator solus absq; consensu Statuum non velit fœdus ini-  
 re cum exteris, non promulgare Leges Universales,  
 non inconsultis Ordinibus intra vel extra fines Imperii bel-  
 lum ciere, non solus exigere vectigalia, teloniaq; erigere, &  
 quæ alia sunt ejus generis, de quibus præ reliquis conf. Li-  
 mnæus. (d) De Gallico Regimine non est, quod in hoc argu-  
 mento afferam; quicquid enim sit, quod Reges Galliz olim  
 nullam ferè superioritatem habuisse J. Cæsar afferat, (e) & alii  
 disputent, Regi nihil, quod ad statum Reip. in universum per-  
 tineat, sine publici Consilii auctoritate statuere licere, neq;e  
 Pactum à Rege initū ratum esse, nisi cujus auctores compro-  
 batoresve extiterint Parlamenti Parisiensis Consiliiarii; quin  
 eam hujus Conventūs auctoritatem esse, ut Decretis ejus-  
 dem Rex acquiescere cogatur, inq; Controversiis non rarò  
 causâ cadat, quæ & ejus commatis plura prolixè recensent, &  
 instar Legum Fundam. sanctè observari volunt Franc. Hot-  
 tom. (f) Paponius, (g) Claud. Sefell. (h) Rudolph. Maximilia-  
 nus. (i) Hodie tamen, nisi omnia fallunt, nescio an non Bodi-  
 no (magis quidem suo tempore, ut Regi placere posset, quam  
 ut veritati calculum adderet, rem agenti) assentiri liceat, qui  
 absolutam Potestatem in Galliz Rege agnoscit, eundemq;  
 propriâ auctoritate Leges condere asseverat. (l) Id quod du-  
 bium non est, quin ad Legem etiam Salicam pertineret, si de-  
 essent, quibus solis hoc modo potiundarum rerum Jus quæsi-  
 tum est, non attento, quod, ubi ex re erat, magnam in hac Le-  
 ge, mortuo Carolo Pulchro adeundi Regni facultatē sibi na-  
 tam

(c) in Comment. in Legem Reg. Germ. p. 405. (d) Jur. Publ. L. 1. c. 8. §. 9.  
 & 10. (e) L. 5. c. 8. de bello Gall. (f) in Franco Gall. c. 15. 25. &  
 alibi passim. (g) de Arrest. Franc. L. 3. c. 19. arrest. 2. (h) de Rep.  
 Gall. L. 1. (i) ap. Eruder. Achil. in Orat. contra Gall. p. 291. sqq.  
 (l) de Rep. L. 1. c. 8.



tam Philippus Valeſius contra Edoardum Anglum exiſtima-  
bat, de quo Froſſardus. Hiſpaniã pariter nescio an huc referre  
liceat, quæ pro diverſitate Regnorum in aliis partibus majore-  
rem, in aliis ſtrictiorem Principi ſuo Potestatem indulget,  
quamvis, quod in Arragonico Regno obtinere fertur, ut Pro-  
ceres multis lectis Legibus & Conditionibus his tandem  
verbis Lingva vernacula Regem affentur. *Nos, qui nec Virtute  
inferiores, & Potestate superiores te ipſo ſumus, Regem te crea-  
mus hiſce Conditionibus Legibusq;, ut unus aliquis plus habeat, quam  
tu potestatis & imperii;* quod ſua fide refert Hottomannus. (m)  
& ſpecialis Tract. Anonym. (n) id jam pridem exoleviſſe cre-  
dam Bodino. (o) De cæterò illud hodiernum obſervari exiſti-  
maverim, quod Thuanus habet: Nobilitatem Hiſpanicam,  
cùm non niſi ex conventione privil. ſuis firmatã pro ſuarum  
Provinciarum defenſione militet, rarò Pyrenæum tranſcen-  
dere. (p) Sed quid de Angliã referam? Notum eſt, juramen-  
to promittere Regem Angliæ, cùm initiatur, ſe Leges Pa-  
triæ minimè violaturum; ſed id minus eſt; ſolet etiam ſpon-  
dere, ſe proprio motu ſine conſenſu Procerum nolle quid  
facere in Negotiis omne Imperium concernentib9. Quorũ  
Angliæ conſuetudo eſt, ut Leges extra Comitia & ſine Ordi-  
num conſenſu promulgatæ. quæ ad Remp. pertinent, nihil  
valeant, quod ex veteri quodam Scriptore Anglico (q) refert  
Hottomannus, (r) & Miltonio Auctore, (s) à perantiquo Le-  
gum Libro (t) confirmatur, in quo traditum eſt, primos Sa-  
xones poſt Britanniam ſubactam cùm Reges crearent, ab iis  
juſjurandum exigere conſueviſſe, ſe, ut quemvis alium è po-  
pulo Legibus ac Judiciis ſubjectos fore. Quin ibidem com-  
probari ait Miltonius; Jus eſſe & æquum, ut Rex ſuos in Par-  
lamento habeat pares, qui de injuriis, quas Rex vel Regina  
fecerit, cognoſcerent. (†) Alredo etiam Rege ſancitum Legi-  
bus fuiſſe, ut ſingulis annis Parlamentum bis Londini, vel  
eo ſæpiùs, ſi opus eſſet, haberetur. Quæ Lex, addit Milto-

B 2 nius

(m) L. c. c. 12. (n) de Jure Majest. in ſubd. n. 11. (o) L. c. c. 5.  
(p) L. 49. Hiſtor. (q) in L. cui tit. Alexarned. Commendat. c. 36.  
(r) L. c. c. 12. (s) pro Populo Angl. defenſ. c. 8. p. 153. (t) cui rit.  
ſpeculum Juſticiariorum. (†) Conſ. tamen Notic. Angl. P. 1. c. 4. & 6. us  
& Magnif. DN. D. Stryck Diſſ. 2. de Jur. Rever. membr. 3. & 4.



nius, cum pessimo Juris neglectu in deservitudinem abiisset, duabus sub Edovardo. III. Sanctionibus renovata est. &c. Et ne multis opus sit; Forma Comitiorum Angliæ de Fundamentalibus eorum Legibus haud obscure testatur; ubi proponit, quæ consultationi subjicienda sunt, Imperans; de his Conventus Superior deliberat, & secundum pluralitatem votorum concludit; Conclufa autem hæc in scriptis transmittuntur Cameræ Inferiori, quæ si ejusdem opinionis est, ita subscribit: *Les Communs ont assenty*, uti Superior scripserat: *Les Seigneurs ont assenty*. Contrario vero casu, ubi consentire hætenus invicem non possunt, quidam ex utroq; Confessu eliguntur, qui Votorum discrepantiam conciliant, cui postea demum Rex colophonem addit, his annexis: *Le Roy le veut*. Quæ & alia, inpr. de impositione Collectarum absq; Ordinum Consensu nullâ, pluribus recensent Thomas Smith, (u) Phil. Cominæus, (x) & Georg. Batt. (y) Scotia iisdem ferè Legibus regitur, nisi quod in Comitiorum solemnitatibus aliquantum variare deprehenditur, juris sui deceterò & libertatis æquè tenax, ut inconsultis Ordinibus nihil, quod totius Regni statum attinet, Regi permittatur, quo de conf. Buchananus. (z) Quod Poloniae Regnum attinet, hic nõ nimium esse, quod Rex solus possit, ex vi Legum Fundam. absq; Consensu Senatorum, quorum suffragia exquirere in rebus ad bellum pacemq; pertinentibus, in imponendis vectigalibus, morti adjudicandis Nobilibus, opus habet, id ex Capitulationibus Regiis clarum est, eo nonnunquam Juramento firmatis, si Chytræo credimus, (a) quod, si fidem promissis datam Rex non servaverit, nolit ipse, ut incolæ Regni Obedientiam sibi præstent. Quale etiam Juramentum erat, quod præstitit Uladislavus II. ab Hungaris ad Regnum vocatus, de quo vid. Bonfinius. (b) Nec dissimile Juramentum Matthiæ

Re-  
 (u) in Angl. c. 2. & Tr. nupero, qui ejus nomen præfert. sub tit. Eigentl. beschreibung des Parlam. von Engell. (x) L. 4. Comm. de rebus gest. Ludov. XI. (y) Elench. Mot. nup. in Angl. l. 1. p. 173. f. 99. (z) L. 8. & 9. rerum. Scot. & in Dial. de Jure Reg. Scot. (a) L. 23. Saxon. (b) Decad. 4. L. 9. rerum Ungar.



Regis Hung. & Christierni II. Daniæ Regis fuit, quod recenset Lauterbach. (c) quamvis quid de Daniâ post Ann. hujus Seculi LX. sentiendum sit, constare omnibus autumem, qui non planè hospites in Historia saltem recentiore sunt. Antè hæc etiam in Juramentis Regum Sveciæ Episcopi, Equites, Nobiles, Cives & Vulgus obligabantur, ut si Rex quicquam contra Articulos Pacti committeret, vel per alios designare vellet, sub ipsorû honore & juramento tenerentur ipsi adversari; referente Chytræo. (d) quod tamen an nostris temporibus obtineat, in primis mutatâ non leviter haud ita pridem rerum facie, ferè ambigendum sit; quamvis adhuc Capitulatio Caroli Gustavi non planè de nihilo esse videatur. (e) Plura in hanc rem non addo: Provoco autem ad Gockelium, qui Capitulationes complures Germanicas, Polonicas, Hungaricas, Svecicas collegit. (f)

§. VII. Enimverò, ut in rem præsentem veniam, quis tandem harum Legum Fundam. quas pro eo, uti necessum erat, secundum omnem suam rationem descripsimus, explicavimusq; effectus est? Unus, qui à nobis allegari possit, & nostræ nunc etiam considerationis est, suppetit; alterum, qui Monarchomachorum fœtus, de quo peculiari Exercitatione disquirere animo sedet, merito repudiamus & averfamur. Nempe per has Conventiones, in quas Princeps cum subditis plena voluntate consensit, obligari omninò Principem in Conscientiâ arbitramur, ut sanctissimè observare velit, quod conscendendò Solum Imperantis sanctâ fidei promissione testabatur. Etenim si secus faciat, quidni & in Deum, & in Homines, & in se Ipsum injurius esse censendus est? Deo sanè se obligavit Princeps, cum pro iis Juribus servandis, quibus Imperiorum dignitas, status Rerump. & Salus Gentium continetur, fidem suam interposuit, quam rescindere invito Domino, cui facta stipulatio, non potest. Idem Juramento se obstringi voluit, ut pateret iram læsi Numinis ex-

B 3

spe-

(c) im Regenten Buch L. I. c. f. (d) l. c. (e) Vid. eam im Schwedischen Reichs-Tags Schluß zu Stockholm de Anno 1650. d. 6. Novembr. (f) in Basiligrapt. Europ. n. 25. seqq.



ſpectandam ſibi eſſe, ſi contra promiſſa jurata egerit. Nunquam impunè contemnitur ſacer ille aſſeurationis modus, nunquam pejeranti animo, quæ cælitus implorata erat, vindicta defuit. Dei in his terris Vicarium Princeps agit, ejuſdemq; ſubdelegatam Potēſtatem reverenter habere & perpetuò obſervare debet. *Semel Deus locutus eſt, & quæ proceſſerunt à labiis ejus, non facta ſunt irrita. Habeat igitur & Princeps unam Linguam, & unum calamum, ejuſq; Lingva ſit immobilis, ſicut Lapis Angularis, & Polus in Cælo; quod non ineleganter Hieron. Marilianus. (g)*

§. IIX. Quæ ſi perſvadendo Principi non ſufficiunt, quàmvis ſufficere omninò deberent, moveat illum, quod contravenire Legibus à Naturâ inſtitutis non poſſit. At Pactum & Conventio in ſe conſideratæ non Juris Civilis, ſed Naturalis ſunt; proinde naturalem etiam Obligationem inducunt, quæ transgrediendo Princeps in ipſum Naturæ Auctorem peccaſſe credendus eſt. Benè JCTI præeunte Imperatore: *Secundum Naturam eſt, fidem ſervare, nec quicquam tam congruum eſt fidei humane, quam ea, quæ inter homines placuerunt, ſervare. Conf. Arumæus. (h)*

§. IX. Quamvis tamen Promiſſio Principis, quæ hîc interceſſit, quandam etiam Civilem Obligationem pariat. Sic enim in Contractibus ſuis omnibus Princeps jure communitur, & perinde, ut privatus obligatur, ſive iſ cum alio privato contraxerit, ſive cum integrâ aliquâ Univerſitate. Nec enim claudicare debet Contractus, cum ex Juſtitia Commutativâ, quoad nexum & vinculum contrahentis par debeat eſſe conditio, etſi diverſitas deinceps quoad modum exigendi ſeſe exferat, ideò, quòd cogi alter poſſit ad fidem ſervandam, alter non poſſit, cum ea diverſitas non ex modo obligandi, ſed ex perſonarum Qualitate ortum habeat. Conf. Magnif. DN. ZIEGLERUS. (i) Quorſum ita omninò ſtatuendum eſt, quòd libertas contrahendi vel non contrahendi,

(g) *in repet. L. Quoties; C. de R. V. n. 27.* (h) *Jur. Publ. Vol. II. Diſſ. 5. n. 77.* (i) *de Jur. Maj. p. 8. 9.*



quæ erat sub initio, fide datâ & acceptâ in Conventione etiam Principis transeat in necessitatem, ut eam impleri oporteat. Quin imò firmitus arctiusq; eum obligari convenit, qui mutua fidei assertor & vindex est, ita, ut nec plenitudo potestatis, nec ulla urgens clausula eum eximere possit, nisi humanam ipse inturbare societatem, cui verò conservandæ omnem movere lapidem debebat, spontaneo exemplo voluerit. Fallor verò, aut id, quod dixi, in tantum valet, ut subtiliores etiam Disputationes de Contractu suo inito excitare Princeps prohibeatur. Vid. Gail. (l) In quam rem Princeps immortalis memoriæ Saxo, Mauritius, Carolo V. Imperatori subtiles interpretatiunculas contra Magnanimi illius Philippi Senioris, Hassiæ Landgravii, diu, sed frustra expectatam libertatem nectenti, his verbis exprobrare poterat: *Ego te tanquam Imperatorem, non tanquam Legislatam pactiones interpretari volo.* Quod argumentum pluribus prosequitur Mylerus. (m)

§. X. Unum addo, quod pertinet ad conservandam famæ gloriam, quâ sibi Ipsi obligatus Imperans est. Viderit ille, an illustrius aliquid præfulgeat in Principe, quam recta fides. Vulgatum quidem est: Vocem Principis instar Oraculi esse debere, unum habentem calamum, unam Linguam. Sed id suo approbare calculo voluit prudentissimus Princeps, Alphonsus Neapolitanus: *Solam fidem, inquit, tantum apud Principem, quantum Juramentum apud privatos valere debere.* Quod agnoscens Archiepiscopus Colonienfis apud Crantzius: *Verba, ait, Cesareæ Majestatis mihi pro Juramento sunt, & sicut turpe est, aliis omnibus, quibus vel minima Virtus cordi est, fidem fallere, ita turpissimū est Principi Viro, pacta violare.* Quare velim sibi Princeps persvadeat, quod in  
quan-

(l) 2. Obs. 55. n. 4. (m) Nomol. c. 2. §. 1.



quantum fidem, quam Legibus Pactionibusq; maximè fundamentalibus, impertitus est, violare præsumpserit, tantum ipse famæ suæ detrahat, quam contemnere nunquam debet, & sedulò prudenterq; apud animum reputare; quod *cæteris mortalibus in eo stent consilia, quid sibi conducere arbitrentur; Principum diversa fors sit, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda. Etenim contemptu famæ contemnentur ejus Virtutes;* quod egregiè Tacitus. (n) Ut verbo dicam; placet Alexandri JCTI Responsum; Inter ea quæ casu quodam improviso accidunt, censerè, si Princeps à patris conventis discedat, neq; id in conjecturam venire; quia duplex est obligatio, altera quidem naturalis: quid enim tam Naturæ consentaneum, quam justa promissa servare? altera, propter Principis Dignitatem, quæ agitur in fide servandâ, etiam, cum sui detrimento, cum violatæ fidei omnibus ultor ac vindex esse debeat, nec à Principe crimen, perfidiâ gravius, admitti possit. (o)

§. XI. Facebant igitur Aulico-Politici, homines multæ fidei, h. e. nullius; qui Principibus suis impium illud insufurrare solent: *Sanctitas, pietas, fides privata bona sunt, Quæ juvat, Reges eant. Ego illos in hoc negotio parùm audiendos putem, qui, ut Pius Pontifex ait, (p) inter Laudum & Placentiam, non autem Veronam versus ambulare solent. Sanè hoc mortaliū genus est, quod facit, ut, cum nemo sit, qui Imperantem dehortetur, nemo qui dissvadeat, adeò, ut juxta Carneadem, Regum ac Principum filii aliquando nihil rectè discant præter equitare, quod his omnes adulantur, solus equus, non curans, Regem gerat, an privatum, tergo excutit, quicquid equitandi fuerit imperitus; (q) ut, inquam, eosdem Capitulationibus constringere necessum fuerit, quæ sine rubore de illis omnibus, quæ & subditi volunt, & publicæ salutis ratio exposcit, liberè monere possunt. Neq; verò illud aliquid momenti habet, quod*

(n) *Annal. 4, 40, 2. & 38, 7.* (o) *in Conf. 97. L. 3. n. 13.* (p) *in lit. ad Ducem Ferrariæ; quas recenset Petr. de Gregor. in Proam. n. 10. d. concess. feud.* (q) *Plut. de discrim. Adul. & Amic.*



quidam contendunt, ejusmodi Legibus Fundam. earumq;  
obſervatione perire Majestatem Principis, & nullam reddi.  
Hic enim error illorum tantum est, qui Majestatis Naturam  
aut ignorant, aut falso volunt concipere; parum edocti, quod  
distingvere opus sit summum inter imperium & absolutum.  
Non opponuntur sibi summum & limitatum, sed absolutum  
& limitatum. Utrumq; quidem summum est, sed alterum al-  
tero habetur liberius aut restrictius. Contingat licet, ut Sta-  
tuum Ordinumq; arbitrio Jura quaedam, quæ pro aliorum  
Regnorum formis ad Majestatem pertinent, Principi dene-  
gata sint, non tamen illa Majestatem statim tollunt. Etenim  
omnibus Regnis & Rebusp. liberis competunt sua Majeſta-  
tis Jura, quæ verò in Principum electione interdum indefi-  
nitè, quandoq; etiam definitè, certis scil. conditionibus & ex  
parte Proceribus Regni reservatis, prout utilitas publica &  
status Regni exposcit, conferri solent. Si nunc indefinitè  
fuerint translata, solus Princeps habet Majestatem, statusq;  
Reip. purè est Monarchicus. Si verò electus definitas & cer-  
tas Majestatis quasi particulas acceperit Majestatem nihilo-  
minus habet, quia major vel minor Potestas non facit Maje-  
statis diversas species; attamen & Proceres de hâc tum quid  
participant pro rat. Statûs Aristocraticè mixti; sive enim u-  
nus saltem, sive plures conjunctim summam teneant Pote-  
statem, Majestas inde exsurgit integra, quæ in Republ. & hoc  
modo una atq; summa est. Quæ res ut tantò intelligatur ac-  
curatius, ita accipienda est; quando Promissio Principis, quæ  
Legibus Fundam. se obstrinxit, cadere in ipsam facultatem  
debut, ut actus Regis contrarii fiant ipso jure nulli, tum non  
quidem video, qui summam in Rep. potestatem solus Rex  
retineat; solvitur enim eo ipso obligatio parendi in populo,  
ubi Divino Jure soluta non est, & actus illi, de quibus facta  
est promissio, ut rati sint vel irriti, non in solius Principis Po-  
testate situm est. At verò non semper ita accidit; ut pluri-  
mum enim Potestas, quæ certis includi cancellis, maximè  
spontaneò, se passa est, hâc determinatione actum secundum  
seu Exercitium Jurium Majestatis tantum limitatum habet.

C

de





de summitate & primo actu Juris nihil perdidit, haud magis, quam Paterfamilias, summam illam, quantum permittit familia, potestatem amittit, quando quaedam ad gubernationem familiae pertinentia se facturum promittit; aut Maritus Jus superioritatis, quod in Uxorem habet, Maritae tradit, ubi interveniente etiam Juramento ei aliqua pollicetur. Placet sane hic illud Limnzi, quod quemadmodum candela vitreae inclusa capsulae, aequè ac si extra eandem posita esset, suum fulgorem dispergit, & hoc modo conservatur, ne à ventis hinc inde exagitata exstingvatur, ita Majestatis fulgor, circumstante capitulationis fabrica, nec à favoniis adulationum ventis vel bellorum procellis exstingvatur, nec minimam patiatur eclipsin, prout saepe fieri solet in Regnis, in quibus libera voluntas Regni Moderatori conceditur. Addatur omninò Grotius. (\*) Quibus observatis, non crediderim, succensere amplius nobis in hoc argumento Barclajum posse, quicquid sit, quod in primis Ille post alios Imperantem Legibus fundamentalibus eximere videatur. (s) Quod si autem Hobbes contendere nobiscum velit, nullis Principem Civitatis legibus teneri, (t) sciat ille, quod nos in ejus verba, quae rationum pondere (uti moris esse ipsi solet) non muniuntur, nunquam promiserimus; neque ille nos unquam persuadebit, quod Civium singula Voluntates in Voluntate Civitatis (Imperantis) contineantur, adeoque, si civitas se liberam esse velit à tali obligatione, etiam Cives velint. (u) Non enim potuit Civis ita absolutè, ut ille putat, suam Voluntatem voluntati Imperantis subicere; cum ulterius saltem non possit, quam per Leges naturales & Divinas licet. Et quomodo nobis contrarium probaverit Hobbes? Putat, paci Reip. non satis consultum fore, nisi ita fiat: Sed id est, quod inficiamur. Contrarium Experientia docet. Nititur ille falsam Hypothesi; quasi bonitas actionis in eo sita sit, quod sit in ordine ad pacem, malitia, quod sit in ordine ad discordiam: (x) cum tamen pax vel dis-

cor.  
 (r) Tit. L. l. c. 12. (\*) de J. B. & P. L. l. c. 3. §. 6. (s) L. de Regno & Regali Potest. (t) de Cive c. 6. art. 14. (u) l. c. & c. 12. art. 4. (x) c. 3. art. 32.



cordia bonitatis aut malitiae actionum moralium mensura non sint, sicut Ethicorum Scholæ quotidiè nos edocent.

§. XII. Sed nondum tamen satis contra Legum Fundament. observationem pugnatum est ab earum osoribus, adest aliorum caterva, tanto illa magis infesta & periculosa, quo pulchriore Religionis specie colorem illinire commentis suis allaborare solet. Sunt nempe, qui quod Princeps spondendo in Capitulationibus jurandoq; promisit, nec ratum esse autumant, nisi Romana Curia suffragium adjecerit, neque non posse Principem illa obligatione fidei, quam Romano Cœtui adversam experitur, à Pontifice, ex plenitudine potestatis, quam somniant, facile absolvi, quin jure ipso absolutum esse. Obliterata mala essent, si infanda hujuscemodi assertorum molimina eo tantum tempore virus suum exseruissent, quo Pacificatio Passaviensis tranquillitatem Germaniæ felicibus auspiciis reddiderat, quâ de causâ etiam conquesti deinceps suo jure fuerunt Status Imperii Protestantes: (y) **Es wird öffentlich (nemlich von den Jesuiten und Friedhäßigen) außgeben / daß weiland König Ferdinand / Hochlöblichster Gedächtniß ohn Päpstlichen Consens nicht ge-  
bühret habe / einen Religion-Frieden zwischen den Ständen im Reich zu treffen. &c.** Sed longius serpere malum debuit, quando ineunte hoc Seculo (ne ad recentiora digitum intendam) persuasum Principibus erat, tolli posse datam fidem, nec attinere quicquam, si rescinderentur pacta tam sanctè inita & jurejurando confirmata. Quale quid etiam auditum est, multum fremente Innocentio X. Pontifice, (z) quando Osnabrugensi Pacis sanctione de Religionum Exercitio libero in Germaniâ feliciter con-

C 2 venie-

(y) in Gravam. Casari exhib. Ratisb. Anno 1594.

(z) in Declarat. nullitatis articulorum nupera Pacis Germ.





veniebant partes ; quod ipsum Capitulationi postmodum  
 Cæsareæ insertum est. Abeant verò cum infrunito hoc as-  
 serto suo ejus Compilatores. Nos equidem Pontifici Roma-  
 no Majestatem non denegamus , & Legum idèò ferunda-  
 rum Potestatem etiam concedimus , sed uti illa ad Patrimo-  
 nium , quod vocant , D. Petri , & reliqvas , sive ex beneficio  
 Principum , sive vi possessas Provincias limitata est , ita hæc  
 quoque iisdem terminatur finibus. At si idem extra terri-  
 torium suum Jus dicere affectet , ferri illud æquo animo non  
 potest. Unde enim hujus suæ Potestatis argumenta petet ?  
 unde pro rescindendâ fide à Principibus sanctè stipulatâ  
 auctoritatem sibi concessam commonstrabit ? Summum cer-  
 tè illud , quod in universum terrarum Orbem sibi transcri-  
 bit Imperium , merum est commentum , ex fastu Hildebran-  
 dino natum , & à barbaro etiam Attabalibâ stoliditatis no-  
 mine notatum. (a) Anne verò credemus Pontifici , quod  
 ab ipso Imperii Potestatem Principes derivent ? credemus,  
 quod *qui dicat , Imperatorem Jurisdictionem habere sine Papâ , di-  
 cat , nos Imperatore carere.* Vid. Lancelott. (b) O verò mise-  
 ram Principum conditionem , si Papalis est arbitrii , pacta  
 conventa & Leges Imperiales mutare aut rescindere ! sic e-  
 nim omnis quoque Civilis Potestas directè ipsi est subjecta,  
 atq; adeò Reges & Principes non nisi Magistratûs sunt , sub-  
 diti nutui Paparum , uti concludit Magnif. DN. ZIEGLERUS , &  
 contra Dissidentes , Angelum Carerium , Bzovium & Boziû  
 egregiè evincit. (c) Sed fallitur Romana Curia , jugulanda ,  
 quod ad hoc argumentum attinet , proprio suo gladio. Ecce  
 enim Pontifices ipsi *Jura Humana per Imperatores Deum distri-  
 buere* fatentur ; illi non negant , *omnia Pontificis Jura in manu  
 Imperatoris esse* ; quod ex Canonibus Decretorum Papalium  
 commonstrat Arumæus. (d) Egregium verò Potestatis ple-  
 nariæ Arbitrium , quod vel statuta evertere Rerump. à Pon-  
 vel

(a) Magnif. DN. Ziegl. de Jur. Maj. L. 1. c. 5. §. 20.

(b) cit. ab Arum. Vol. 3. J. P. Disc. 6. n. 23.

(c) l. c. (d) l. c.



tificio etiam jugo hinc inde abhorrentium pro lubitu possit, vel ipsis Principibus, earumq; Conventioni atq; Pactis præponderet! Proinde nihil superest, quam ut ita nobis persuadeamus, non alio Jure Legibus præjudicare Fundam. posse Rom. Pontificem, quam eodem illo, quo ipse non dicam Divinis Naturalibusq; Legibus repagula ponit, quod prolixè commonstrat Arniszus, (e) sed juratam fidem, quam stipulatus antea fuerat, temerario non semel ausu violare confvevit; in quâ re luculentissimum exemplum est, quod in Paulo IV. post obitum Marcelli II. apparuit, de quo videatur Svais. (f) Non vacat autem plura de hoc Argumento addere; Conf. possunt Guill. Barclajus, (g) ejusq; Hyperaspistes, Johannes Roffensis Episcopus, (h) & qui primo loco mihi allegandus erat, ac plures, qui contra Machinationes has Pontificias defudarunt, recenset, Patronus noster summus & devotè Venerandus, Magnif. DN. ZIEGLERUS. i)

§. 13. Nunc ergò quando sufficienter, ut opinamur, constitit, quod ad Observationem Legum Fundam. omninò teneatur Imperans, neq; ullâ Juris specie in earundem violationem consentire possit, illud saltem, ut ostendamus, superest, quousq; tandem Obligatio illa progrediatur, & utrum ejus rigoris illa esse possit, ut contravenire his Conventionibus nunquam & nullâ ratione Principi liceat. Ire hinc per Capita Pactorum Fundam. par erat, & cum constet, limitari iisdem solere Jura Majestatis, quæ & circa Sacra & circa Profana negotia se exserunt. (quamvis, quod ad Divisionem Jurium Majest. attinet, multifariam variare Auctores solent; Conf. Bœclerus. (l)) ostendendum, quid in utrisq; promutatione aut abrogatione valeat Imperans; sed prolixius argumentum est, quam ut his paginis contineri & absolvi queat. Mittam igitur dicenda in compendium. Atq; ita primum existimo; quod ad quæcunq; servanda fidem suam  
Prin-

(e) de Jur. Maj. l. c. (f) Hist. Conc. Trid. L. 5. (g) de Potestate  
Papa. (h) in Tr. de Potest. Papa tempor. (i) l. c.  
(l) in Grot. L. 1. c. 3.



Princeps Imperio præfigendus stipulari voluit, ad ea etiam serio atq; sedulo agenda urgendaq; obstringatur. Neq; enim invitus obligari potuit ex potestate præscriptentium, sed deum vi promissionis spontaneæ Legum harum Conservacionem in se suscepit, quod rescindere velle propositum etiam in levioribus negotiis casibusq; meræ deinceps facultatis non est. Proinde sicut in quavis conventionem altera pars contrahentium, altera invitata, nec discedere à Contractu, nec mutare in eo quicquam potest, ita nec Princeps, quem ante diximus in Contractibus jure privatorum uti.

§. 14. Illud verò parùm incommodare huic asserto videtur, quod nonnulli existimant, posse Principem, cui subditorum suorum salo curæ cordiq; est, eò intendere vires omnes, ut si fortè iis sacris imbuti Cives sint, quorum erroneo ductu extrema tandem expectanda omnium perniciēs, ad meliora eorum animus revocetur, quicquid sit, quod servandis tuendisq; his dogmatibus Imperaturus se obligari passus est. Etenim quantumvis omnem in hac parte, quæ Sacrorum Curam concernit, Principi Sollicitudinem nullo modo denegatam irevelim, quin & sic omninò statuam, Boni Principis esse, non de præsentis tantùm & Politica incolumitate subditorum curam agere; postquam tamen in tuitionem horum Fidei cuiuscunq; Capitum plena semel voluntate consensit, quid amplius relictum Principi sit, quam ut ipse fidei suæ interpositæ memor esse velit, non video. Monere si velit subditos, ut sapere rectius intelligant, non penitus dissvadeo. Si nihil effectum fuerit, sibi tribuant, qui errori præbere aurem (dummodo error est, qui subditos, non qui Principem invasit) quam veritatis amori cupiunt. Decæterò absit ut insultare velit Imperans, (maximè, quem Fundam. Legum tenor aliò adducere debebat) Conscientiis Civium suorum, certò persvasus, nihil magis voluntarium esse quam Religionem, omnesq; hactenus operam, majori suo damno lussisse, qui tale quid moliti fuerunt. *Omnes enim, ajente Tullio, (m) religione*

110-

(m) in Verrem. Act. 6.



moventur, & Deos Patrios, quos à Majoribus acceperunt, colendos sibi diligenter arbitrantur.

§. 15. Neq; tamen id omne, quod dixi, eò trahi velim, quasi existimem, ea ingruere tempora non posse, quibus ad mutationem etiam Legum Fundam. transire necessum sit. Sunt certè & hæc, ut in omni administratione Reip. duplicis generis negotia, quæ occurrunt. Nam de quibusdam in antecessum potuit constitui, ideò quòd quodcumq; eveniunt, eandem habeant naturam. De quibusdam autem non nisi ex præsentis tempore iudicium ferre licuit, Reip. expediant, nec ne, quoniam quæ illa commitantur, prævideri nequeunt. Circa utraq; ne à bono publico aberraretur, in Capitulationibus caveri potuit; sed ita tamen, ut & his Legibus hæc inesse Exceptio intelligatur; *Nisi salus Reip. aliud requirat, aut verò Usus etiam, qui Corrector Legum esse solet, iudice Tacito, (n) aliud postulet.* Omnes enim Contractus Imperantium, etiam Juramento firmati, ita pendent à bono publico, ut annullari possint, si toti corpori perniciosi existant, aut necessitas publica id efflagitet; quoniam publica magis necessaria & ardua aliis publicis merito proponenda sunt, nec unquam in dubium revocari debent. Conf. Caramuel. (o)

§. 16. Sed & in hæc parte nolim offendat Princeps, aut justò liberalior existat. Rarò sine maximis motibus, & summâ rerum confusione in his talibus aliquid mutari potest. Quantâ solertiâ Augustus Imperator usus, ut contra hæctenq; observata novum quid in administrando Regimine introduceret, præceteris Dio Cassius describit. Hoc ipsum ut firmaret postea, non minori arte opus habuit Tiberius, qui (ut est apud Tacitum) *Dominatum stabilire, omnem operam navabat sedulo.* Rectè Joh. Boterus: *naturum sequi b. v. in parte consultum putat, (p) illa vero non facit saltum, sed per gradus promovet, unde si quid etiam hoc loco fieri opus est, ne*

(n) L. 45. 32. (o) *Concl. de Pace licita German. n. 393.*  
*de Illustr. Stat. & Polis. L. 2. c. 7.*

(p)





tanquam ex abrupto, sed paulatim & successivè fiat. Et cum hoc paucis datum sit, ideo ipse Bøterus & Sebast. Cæsar de Menses, Lusitanus, (q) Nova evitare circa Statum publicum prudenter præcipiunt. Præter hac sciat Princeps, quod ad immutationem, si fortè obvenerit, aut abolitionem Conventionum Fundam. non unius in Rep. sed & alterius partis Consensus desideretur; nihil enim magis naturale est, quàm unumquodq; eodem vinculo dissolvi, quo colligatum est. Unde ita æstimet, quod quemadmodum omnes ex Obligationes, quæ consensu contrahuntur, contrariâ voluntate dissolvuntur; ita possit ipse etiam, sed unâ cum Proceribus Imperii (si ita ferat Fundam. Conventionis ratio) aut iis, quibuscum antea convenit, in id nunc consentire, ut vel detrahatur aliquid vel addatur Legibus regnandi. Si secus fecerit, jam ultra concessos limites progreditur, & fidei violatæ ne agatur reus, prospicere omninò opus habet. Quod superest, an neq; eorum consensu, quorum suffragiis electus Princeps est, pro abrogatione harum Conventionum aliquid valeat, id defendendum Carpzovio (r) relinquo; aliud nonnunquam observatum esse & in Imperio nostro, nisi omnia fallunt, sentio; quamvis ea res nostræ nunc dijudicationis esse non debeat. Provoco interim ad Magnif. DN. Zieglerum (s) & Befoldum. (t) Nobis hæc dixisse pro instituti ratione sufficiat.

D. S. G.

(q) in Summâ Polit. Theodosio Portug. Principi proposita à tit. 3. c. 3.  
(r) in Leg. Reg. Germ. c. 1. f. 10. n. 13. (s) L. c. L. 1. c. 5. §. 31.  
(t) L. 1. Polit. c. 2. n. 4.





WITTENBERG, DISS., ERGABAND, 2.

1668/1708

ULB Halle

3

001 507 230




7A-202


1077











Farbkarte #13

B.I.G.

K. 944

2127  
223

D. B. V.

ousq; Prin.  
ervare Le-

mentales teneatur,

ÆSIDE

HANAEL

en / Gedan.

LOS. ADJUNCT.

ret publicè

ES PILARIK,

wâ-Hung.

col. & Phil. Cult.

torio Majori,

A.O.R. cl. l. c. XXCIX.



ENBERGÆ,

ANNIS WILCKII.

1689

75  
—  
930

